

- qualibet vice contrafacta, et acusatori de predictis adhibeatur // 113 B
 plena fides cum sacramento et habeat tertiam partem con-
 dempnationis predictae, et precones comunis inquirere teneantur
 de predictis bis in septimana, et eorum acuis adhibeatur plena
 5 fides et habeant tertiam partem condempnationum predicta-
 rum. ¶ Item ipse panicocule facere debeant panem ad furnos
 comunis, pena centum sold. par. pro qualibet ipsarum et pro
 qualibet vice contrafacta. ¶ Item non vendere panem non bu-
 latum bulla comunis per fontecharium ¹⁾ a quo facere bulari
 10 teneantur, pena decem libr. par. pro qualibet panicocula con-
 trafatiente et a(d)mittendi talem panem. ¶ Item non ire ad
 sestarium comunis, nec aliquis pro eis, ad emendum farinam
 vel furmentum causa fatiendi panem, preterquam de furmento
 fonteçi comunis, pro vendendo panem, sub pena decem libr.
 15 par. ¶ Item quod nulla persona que non esset panicocula modo
 aliquo facere possit panem ad vendendum, pena decem libr.
 par. pro primo pane, et ab inde superius pro alio pane pena
 decem sold. par. pro qualibet persona contrafatiente, que pena
 immediate solvatur sine proclamatione excusarum, et persone
 20 contrafatienti accipiatur pignus, si non solveret, et si non esset
 solvenda, ponatur in carceribus comunis, in quibus ²⁾ stet do-
 nec // dictam condempnationem solverit. ¶ Et familiares do- 114 A
 mini potestatis qualibet die cum preconibus comunis ire de-
 beant ad ianuas civitatis Tergesti, et ibidem videre et custo-
 25 dire si forenses aliqui portarent panem non bulatum, et si
 invenirent aliquem portantem, tunc ipsum constringere possint
 quod hostendat locum ubi ³⁾ emisset dictum panem et perso-
 nam a qua emisset, et si non denuntiaret ponatur in basta
 comunis, in qua stare debe[a]t donec denuntiaverit predicta;
 30 et si denuntiaverit et inveniretur veritatem de predictis, quod
 (esse) persona ⁴⁾ que vendidisset dictum panem cada(n)t ad
 dictam penam, et inveniens habeat partem suam per modum
 supradictum, et eisdem adhibeatur plena fides de predictis cum
 sacramento, exceptis fornariis que suas fornicas vendere pos-

¹⁾ Aggiunta marginale. ²⁾ qua. ³⁾ Aggiunta sul rigo. ⁴⁾ Stat. 1365:
quod persona.